

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

opera ex euangelio vbique sparsus. Totus enim in eo verlatur apostolus, vt concionem euangelii rite defendat, contra omnes maleuolentium obrectationes, quo suis auditoribus firmiter hanc thesin imprimat, euangelium de Christo, quod ipse praedicabat, non esse recens hominum inuentum, aut futile commentum aliquod, sed verbum vitae, ab ipso Christo, tanquam fonte proficiscens, in quo vnice salus quaerenda, non vero in lege iram & poenas comminante. Hinc *com. 15.* vltius progreditur Paulus, & causam subiicit eorum, quae antea dixerat, vt corroboret, quisnam fons & origo sit, quod odor agnitionis Christi manifestatus, nullus certe alius, quam Christi *εὐωδία*; quod causalis particula *ὅτι* indicat. Ne vero exceptioni vllum relinquat locum, *euangelium non ab omnibus recipi*, subiicit, quocunq; modo euentus cadat, esse, & manere tamen euangelium, *εὐωδίαν χριστοῦ*. Maxima cum parrhesia, affectuque laetitia & spei impletus, ob Corinthiorum emendationem, haec omnia proponit.

§. XII. Haec certius constabunt ex iis, quae sequuntur *com. 17.* vbi apostolus suam

C

in

in praeconio euangelii sinceritatem testatur; quam testificationem, tanquam nouam inducit causam, cur DEO ministerium suum sit acceptum, & salutaris efficaciae nunquam expers. Innuuit nempe, se non miscuisse in praeconio suo, falsa vel ficta veris, non humana placita diuinis veritatibus, non legem euangelio, sed sine omni mixtura, pure & sincere, euangelium auditoribus suis propinasse, vt Christum glorificaret inter gentes: se non inflexisse veritatem ad affectus Iudaeorum, non ad iudicia rationis, lucri gratia. Graecam vocem *καπηλέειν* adhibet, quod de cauponibus dicitur, qui vinum aqua miscunt lucri gratia. Idem argumentum prosequitur seq. *cap. III.* in quo inter legem & euangelium, item inter euangelii & legis ministerium comparisonem instituit, vt eo magis elucescat, apostolorum ministerium esse suauem odorem Deo.

§. XIII. Si scopum conferas cum his omnibus, indubitato videbis, mentem apostoli vt decet nos exposuisse. Tota haec posterior ad Corinthios epistola, apologiam Pauli complectitur, aduersus Pseudapostolos. Hanc *com. 12. cap. II.* exorditur, & per varia eaque vali-